



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Catechesis Pverilis

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1543

VD16 M 2628

De Fine.

urn:nbn:de:hbz:466:1-33561

RElqua duo præcepta addita sunt, ut interpretentur legem, et discernant legem Dei ab humanis legibus & à philosophia. Nā leges humanæ prohibent externa facta. Sed hæc præcepta testantur legem Dei non solum de exterioribus factis loqui, sed etiam de interioribus affectibus, et inclinatione ac immundicia naturæ. Cum igitur ait lex, Non concupisces uxorem aut rem proximi, duo complectitur, & affectus malos, & caussam malorum affectuum, scilicet ipsum morbum naturæ, qui uocatur peccatum originalis. Hunc morbum humanæ leges et philosophia non iudicant esse peccatum. Ideo lex Dei accusat eum, ut discamus quām horribiliter hæc humana natura immersa sit peccato, et agnoscamus nos non posse legi satisfacere, sed habere opus alia iustitia. Itaq; hæc duo postrema præcepta non pertinent ad disciplinam, sed ad superiorē usum legis, scilicet ad accusandum peccatum in tota natura humana, ut agnoscamus uitium originis. **D E F I N E.**

IN singulis præceptis diligenter addendus est finis, ut fiant propter D̄cum, hoc est, ut in timore Dei & referatur ad Deum, ut, Magistratui obedias, quia timeas Deum, & uelis Deo parere. Ita non defraudes alium in contractu, quia

DE DECALOGO. 119

quia timeas Deum, & uelis Deo præstare obedientiam. Sic in singulis mandatis & operibus oportet apprehendi Deum, & repeti primum mandatum, ut omnia opera fiant cultus Dei, & in omnibus operibus Deum intucamur, & ei seruiamus.

Repetenda est etiam in singulis doctrina de fide, quæ docet quod propter Christum reputemur iusti gratis. Deinde uero placeat propter ipsum inchoata obedientia. Tenebis autem has præcipuas questiones de quolibet mandato. **P**rima, Quid præcipiat. **S**econda, Quo fine. **T**ertia, An satisfiat. **Q**uarta, Quomodo fiat & placeat obedientia.

DE VS V LEGIS.

Postquam ut cuncte decalogum enarrauimus, admonendus est lector etiam de usu.

Est autem triplex usus. **P**rimum tradendus est decalogus seu lex Dei moralis, ut disciplina rudes erudiat & cohercet. Et hic usus pertinet ad iniustos & iustos. Deus enim cohercere uult iniustos externa disciplina, & iustis rudibus opus est institutione, doctrina & diligentia cohercendæ carnis, sicut pueris, adolescentibus, uulgo etc.

Secondus usus est proprius cōtritioni, argue re pec